SPECIMEN NONNULLARUM ANIMADVERSIONUM CIRCS CUTIS FABRICAM, ...

Cesare Polettini, Bartolomeo Panizza

SPECIMEN
NONNULLARUM ANIMADVERSIONUM
CIRCA CUTIS
FABRICAM, FUNCTIONES ET MORBOS

QUOD

PRO DISSERTATIONE INAUGURALI

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

BARTHOLOMAEO PANIZZA

ANATOMIAE HUMANAE P. O.

PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE CAPESSENDA

IN CELEBERRIMO I. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Februarii MDCCCXXXI

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT

POLETTINI CÆSAR

VERONENSIS
EX SORGATE

TICINI REGII
Ex Typ. P. Bizzoni Bolzanii success.
I. R. Universitatis Typograph.

EXPOLITISSIMO AC SUAVISSIMO VIRO

FELICI BOLDRINI

CHIRURGICAE ARTIS USU ET SCIENTIA

LONGE PRAESTANTI

DE SOCIETATE

OB GENEROSAM IN PAUPERES MUNIFICENTIAM

ET

GRATUITAM AEGRIS SANANDIS PRAXIM

AEQUE MERITISSIMO

CAESAR POLETTINI

ACADEMICAM OPELLAM

QUA DIE EXOPTATISSIMAM MEDICINAE LAUREAM

ASSEQUEBATUR

LUBENTISSIME NUNCUPABAT

ID ANIMUS SUASERAT

EXISTIMATIO EXPOSCERAT

JUXERAT AMICITIA

Le rang qu'occupe une partie dans notre corps, s'apprécie généralement par la multiplicité, et la délicatesse de ses connexions, de ses sympathies, et d'après cette base, on peut mettre la peau au nombre des organes les plus influens. D'abord, comme organe très-sensible, et comme siège d'un sens, elle correspond avec tous les organes sensibles du corps... comme chargée d'une sécrétion excrémentitielle, elle sert prochainement à un des actes les plus intéressans de notre conservation.

Dictionnaire de Scien. Med. — Art. peau.

HUMANAE CUTIS FABRICA.

Cutis nomine apud Anatomiae cultores intelligitur membrana illa, quae animalium hominisque corpus quaquaversus cingit atque obvallat, quae organismum individuum a reliqua natura prohibet atque tutatur, absorptioni neque ac perspirationi, quam Insensibilem dicunt, praeest, cui denique unam ex sublimioribus mirificisque functionibus, tactus nempe, natura permisit. Veteres Medici, quibus hominum cadavera secare piaculo vertebatur, quibusque, ut sibi organorum structuram et officium, mirandumque illud naturae magisterium compararent, una tantum brutorum animalium dissectio supererat, maximo in errore versabantur, cum hoc corporis humani velamentum quinque a se invicem abhor-

rentibus stratis conflari asseverabant, quaeque ab externis ad penitiora progrediendo Cuticulam sive Epidermidem, Cutim vel Corion, Panniculum adiposum, Panniculum carnosum, et communem musculorum membranam nuncupabant. Nec id fecerant injuria. Substratum enim carnosum in animalibus ad totum fere corpus protenditur, et non raro valde evolutum se exhibet, cujus praesentia absque ullo dubio motus illi debentur quibus brutorum cutim donari videmus. Sed ne quis sibi persuadeat hoc strato musculari homines penitus destitutos fuisse. Ni liberali manu illud concessum, tamen non ex integro negatum. Panniculum quoddam carnosum ad capitis frontisque regionem, circaque faciem Anatomici in hominibus quoque describunt. Et revera cutis istarum partium multiplicibus innumerisque modis se contrahit; quibus animi motus passionesque mirifice pinguntur, oculisque observatoris exhibentur: quare merito quidem vultum animae speculum veteres Philosophi dixere. — Si vero de musculorum communi membrana sermo est, omnibus, qui vix etiam anatomicas disciplinas salutarunt, facile patet nullum pene hanc inter, et cutim intercedere commercium. Quapropter questionibus hisce expeditis, omnium fere Anatomicorum suffragio, externum corporis velamentum in tres partes dispescimus, quarum priorem Cuticulam seu Epidermidem vocamus, secundae sive mediae Cutis vel Corii nomen concedimus, tertia recepto membranae Adiposae vocabulo designatur. Ut vero facilius et rectius Epidermidis naturam et officium assequi liceat, a cutis descriptione principium ducere meus est.

Cutis = Cutis quam etiam Corion, vel δέρμα Auctores passim dicunt, est membrana quae conflatur fibris

albis, fere tendineis, varia directione sese mutuo secantibus, a sola maceratione tamen conspiciendis, unde areolae variae magnitudinis exurgunt. Haec membrana cuncto penitus corporis extensa, ad ostia quae ad partes interiores ducunt in membranas mucosas (quas, ut nonnullis placet, tamquam cutim internam considerare deberemus) insensibili modo terminatur. Duas praesefert superficies. In interiore observari possunt areolae plurimae, substantia quadam adiposa refertae, quibus nectuntur filamenta ex textu cellulari, quorum ope membranae adiposae cutis plus minusve firmiter adhaeret. Extima vero superficies rerum externarum impressionibus, intercedente tamen epidermide, continuo objicitur. In illa tactus organon suam sedem agnoscit, et huic perspirandi, et absorbendi provincia demandatur. Si hanc eandem superficiem solerti cura inspicies, prae oculis venient sulculi, et plicae innumerae quae in quibusdam regionibus, ut in facie a contractione subjacentium musculorum, in aliis a motu partium oriuntur, in aliis vero, quemadmodum in volo manus et digitorum apicibus, a substratis papillis nerveis pendent, dum in senibus amissae cutis contractilitati, et succi adiposi defectui debentur. — Elementa praecipua quibus cutis efformatur sunt textus cellulosus, vasa sanguifera, vasa lymphatica, et surculi ex systemate nervoso. Ex textu cellulari primum cutis substratum exsurgit, in quo arteriae, vasa lymphatica, et surculi nervosi ex vicinis truncis procedentes ab intus ad exteriorem superficiem proserpunt, ubi peculiare quoddam stratum praebent, cui *Textus papillaris* nomen ab Anatomicis est impositum. Hunc ab aliis fere distinctum naturae scrutatores considerant: « Non perchè gli elementi organici, ait celeb.

Panizza, sieno diversi da quelli della parte profonda cutanea essendone una derivazione, ma perchè tutti, e segnatamente i vasi ed i nervi in ragione del loro avvicinamento alla superficie esterna variatamente, e finalmente si decompongono; e vieppiù grande addiviene il reciproco loro intreccio approssimandosi alla superficie, ove sì stretta ed intima è la miscela tra loro, e tanta è l'azione, e l'influenza degli uni sugli altri, che le qualità organico-vitali del derma giungono per così dire al loro perfezionamento in questa regione, ed è qui che accadono i più importanti fenomeni fisiologici della cute; e perciò giustamente venne distinta dal resto della medesima (1). » — Maxima vasorum sanguiferorum aciem cutim donari comprobant injectiones, observationes microscopicae, humoris perspirabilis abundantia, erysipelas etc. Vasa sanguifera innumeris adsociantur anastomosibus; quod extra dubitationis aleam posuerunt observationes quibus didicimus, sanguinem subito ex compressione recedere, illa sublata, novitus irrumpere, et in cadaveribus regionem dorsalem rubro tingi colore, dum reliquae corporis partes ob vasorum vacuitatem pallescunt. — Nemo inter homines inficiari meherclè contendet summam surculorum nervosorum copiam cuti naturam concessisse, si perpenderе vellit exquisitissimam cutis sensibilitatem, nullumque ejus dari punctum quod vel subtillimo aculeo lacessitum nervosi systematis praesentiam non patefaciat. Habent autem rete vasorum, et rete nervosum in cute id sibi proprium quod non aequa manu ad partes distribuantur, ut igitur hasce vel illas prae caeteris diligant, et lubentius sectentur. Hance rem

(1) *Osserv. Antropo-Zootomico-Fisiologiche p. 92.*

Anatomiae studium, et practicae observationes docent. Ita majori sanguinis nervorumque copia instruuntur prae aliis capitis partibus facies, et genae praecipue, quod luce clarius evincunt morbi plures, quaedam animi emotiones, ut ira, et sanctissimae verecundiae comes inseparabilis, amoenus ille rosarum color, quo pueri tenelli, ingenuaeque puellae facies momento citius suffunditur. Ita posterior trunci pars minorem certe horum elementorum copiam quam anterior obtinet. Mammarum cutis cute undique per anticam thoracis regionem diffusa, quoad vasorum numerum, facile praestat; ipsa tamen a cute papillae in hoc superatur. Genitalia, in foeminis praesertim, cute gaudent vasis sanguiferis longe ditissima. Ita denique internam artuum superficiem prae externa ingens arteriarum venarumque quantitas irrigat. Manuum volae, pedumque plantae, et digitorum apices potissimum coeteris vicinis partibus vasorum abundantia antecedunt. Quidquid de rete vasorum cutaneo hucusque diximus, dictum et de nervis intelligimus. Hoc enim certissimum habemus, nervos se potissimum in cute systemati sanguifero socios constanter permittere. Vasa lymphatica insigni copia in cutis organisatione conspiciuntur, venas cingunt, obducuntque, corii areolas penetrant, invicem nectuntur, communicantque inter se mirum in modum, unde passim sub dermate lymphaticos plexus praeseferunt. Summa illa celeritas qua substantiae plures (puta unguentum mercuriale, et alia similia) cuti superimpositae absorbentur, et disparent, nullum certe dubium de lymphaticorum praesentia, et copia relinquit. Hanc veritatem lubentissime testantur illi omnes qui in anatomicis disciplinis insudant, praesertim nostris temporibus, quibus post labores pertinacissimos, immortalia-

que studia illustrium Virorum Cruikshank, et Mascagni, aliorumque, lymphaticorum historia adeo locupletata est atque inclaruit, ut quamplurimum Medicorum animos ad se unam illexerit. Huc quoque faciunt illa quae de vasis sanguiferis, et nervis paullo superius monuimus: vasa scilicet lymphatica non ubique locorum eadem quantitate deprehendi, hic potius abundare, illic e contra desiderari, internam tamen artuum, anteriorem vero trunci regionem prae caeteris adamare; ni forte major harum regionum absorbendi facultas majori epidermidis subtilitati tribui debeat.

Exterior cutis superficies quae corpus papillare constituit rerum externarum impressiones non sine maximo discrimine sustinere posset, nisi mucosae indolis strato undique obtegeretur, quod celeberrimus Malpighi *corpus mucosum* primus vocabat, quodque nostra aetate in honorem summi illius Italici Viri *Reticuli Malpighiani* nomine Physiologi Anatomicique induxerunt. Huic substantiae proprius cutis color debetur, qui in diversis humanae familiae varietatibus est plane diversus. Omnibus satis compertum est hominem ex Caucasico genere cutim candidissimo colore pictam praeseferre. Haec fusco-nigra (uti omnes bene norunt) apud Aethiopiae, cunctaeque fere Africae incolas conspicitur, dum Mongolicae familiae gilvus color, Malaicae badius, Americanae cupreus, et ferrugineus quasi tribuitur. Gentes vero quae magis ad hanc vel ad illam pertinent varietatem, innumeras praecipuorum colorum gradationes referunt. Nec solum tanta colorum varietas extat inter species diversas, sed et inter homines ejusdem prorsus varietatis, et regionis. Nec constans quidem color in omnibus corporis partibus adparet Aetas, varius salutis et morbi status multiplices

inducere in eo mutationes valent: Aethiops ex. gr. quum in lucem prodit, eandem quasi dixeris cutis candorem induit, quo Caucasici distinguuntur, neque niger cutis color nisi aetate succrescente adolescit, et annis tantummodo virilibus summum intensitatis fastigium pertingit. Miseranda adventante senectute Aethiopis color juveniles amittit gratias, atque in nigro-flavum mutatur. Multiplices sunt denique ejusdem gradationes prouti in hisce, vel illis partibus spectetur. Quoad enim nigri coloris intensitatem praecipuam sibi vindicant gloriam penis, scrotum, mammarum areolae, vulvae labia, quibus proxime veniunt nates, palpebris, facie, abdomine artubusque inde accedentibus. — Variae sunt propemodum, atque inter se disparatissimae opiniones, quas de penitiori Reticuli Malpighiani structura variis temporibus Auctores protulerunt. Malpighi illum tamquam mucum e corpore papillari secretum praedicabat, cuique superficiem cutis externam ab impressionibus rudioribus prohibendi munus demandaverat. Celeberrimus Bichat corpus mucosum substantiam vere organicam esse, vel rete quoddam mirabile vasis capillaribus humorem varii coloris pro diversitate hominum specierum ducentibus conflatum pro virili parte defendit. Illustris Mascagni rete hoc non abnegat quidem, sed a vasis lymphaticis illud ex integro exsurgere nervose propugnat. Opiniones Bichati, et Mascagni imaginationi tantum (venia hoc dicam Maorum illustrium Virorum) non experimentis directis, observationibusque adnituntur. Auctores nonnulli ut Soemmering, Cruikshank, Bayam, Dutrochet et alii sibi persuadent Reticulum Malpighianum spiritu vini, vel coctione teotatum, vel morbo, uti exanthemata variolosa, densiorem factum in plura strata recedere. Gaul-

tier post innumera experimanta ad hanc questionem penitus dirimendam suscepta in illam ducebatur sententiam, ut scilicet rete Malpighianum quatuor iisdemque inter se diversis stratis conflatum consideraret. Prior et peoitior lamella ex vasis arterioris, venosisque constat; secunda magis externa est albi potissimum coloris, epidermoideae fere naturae, quam Gaultier *albugineam profundam* dixit; tertiam membranam vascula efformant arteriosa, et venosa, qua de re nil plaoe differt a priori, si excipias, hanc esse nigro quodam muco illinitam, qui eidem *membranae nigrae* nomen promeruit; ultima ejusdem plane naturae est ac secunda, exinde *membrana albuginea superficialis* vocatur. Quamobrem ex hisce membranis prima tantum et tertia organicae haberi possunt. M Chaussier in expositione hujusce opinionis immoratus affirmat « qu'il la considère plutôt comme une vue de l'esprit que comme un résultat réel de l'observation. » (1) Albinus et Meckel Malpighianae menti accesserunt, quoniam rete mucosum pro secretione peculiari corporis papillaris, et idcirco pro inorganica substantia ad corpus idem papillare ab externis injuriis defensandum habuere. Hanc ipsissimam opinionem ad unguem probant experientiae Panizzianae (2) Nos etiam illorum amplexi sumus sententiam utpote illam, quam ingenuae observationes confirmant.

Epidermis. == Exterius humani corporis velamentum cuticula sive epidermis constituit. Veloci calamo notabimus Epithelii nomine cuticulam membranis mucosis insidentem ab Anatomicis designari. Epidermis est mem-

---

(1) *Dictionnaire des Sciences Medicales — Art. peau*,
(2) *Panizza: Op. cit. pag* 88.

brana sicca, organisatione destituta, uti probat vasorum nervorumque in ea desiderium, nutritione, strictiori saltem sensu, caret, crescit et reproducitur dermatis excretione peculiari opitulante, tenuis cujusdam amiculi officium gerit, subjectarum partium custodiae, dicam quasi, excubat, nimiam humorum effusionem prohibet, atque idioelectricam, et thermicam organismi conditionem conservare juvat. Jungitur cuticula dermati substrato, cui etiam firmiter adhaeret filamentorum cellularis naturae ope, per vasa absorbentia et exhalantia, uti placet Bichato aliisque plurimis, demum adjuvantibus pilis, qui ex cute adsurgentes epidermidem impellunt, et exterius eriguntur. Innumeris poris illam gaudere docent Anatomici, quod mehercle nunquam a me inficiatum vellim, siquidem Physici porositatem unam esse ex communibus materiae proprietatibus demonstrarunt. Nihilo tamen secius non omnes retinent foraminula in epidermide obvia vasorum exhalantium, et absorbentium ostiolis respondere, sed meliori consilio putant illa potius eorum vasorum functionibus accommodari. Maceratione et ferventi aqua in cadaveribus cuticula a subjecta cuti recedit. In corporibus vivis cuticula plurimis de caussis a dermate separatur. Id praestant externae violentiae, ambustio, aquae ferventis affusio, vesicantia, morbi plures ut inflammatio cutis, exanthemata nonnulla, gangraena. Epidermis insuper coctioni, macerationi, putridae resolutioni diu resistit, ipsis viribus digestivis haud subigi potest, ad flammam subito incenditur, ingratissimo simul et urinpente odore empyreumatico. Difficillime expanditur, nec ullam contractilitatem possidere videtur. Summa atque incredibili reproductionis vi pollet, quod tamen cuti, ut superius dictum, sane re-

ferendum. — Variam praebet crassitiem prout illam in diversis corporis partibus intuearis; subtilis admodum est in palpebris, in meato exteriori auditorio, ad mammarum vero areolas papillasque, prope partium sexualium regionem mirabilem ostendit subtilitatem, dum e contra summae illius spissitudinis exemplum in manuum volis pedumque plantis habemus.— Diu multumque de epidermidis natura disputatum, nec bellum adhuc resedit. Anatomicorum Physiologorumque nonnulli organicam cuticulae structuram adsignant: contraria prorsus opinio aliis arridet. Priori doctrinae saeculo elapso Leewenhoeck, Boerhaave, P. Dalla-Torre, et Felix Fontana aliique subscripsere. Nuperis temporibus Mojon praesertim, et Gaultier cuticulae organisationem audacissimo marte defendere student, vel saltem penitioribus lamellis (ex multis enim stratis constare autumant) non esse abnegandam demonstrare conantur. Veterem de hac re opinionem e somno excitare celeberrimi viri desiderant; quamquam plurimis illam additamentis (quod minime inficiandum) novisque periculis et observationibus suffultam in lucem restituerint. En verba hominis doctissimi qui seculo sextodecimo hanc doctrinam expendit «Duplex est Cuticula *Interior* lamella quae cuticula proprie dicitur membranosum, et fibrillosum verae cutis operimentum est atque ipso in utero ex semine parentum cum aliis corporis partibus generatur. Pars *exterior* extra uterum producta fuit ex vaporibus e corpore exhalantibus, et in superficie ipsius cuticulae condensatis: haec ex tenuibus squammulis, quae piscium squammis haud absimiles sunt, compacta est, uti oculis vitro optico armatis jucunde intueri licet.» (1) Inter Auctores qui

(1) *Munnik Anatom. nov p.* 3.

pro organisatione epidermidis decertarunt non praetermittendus certe Mascagni, qui et in hac corporis parte rete lymphaticum animadvertit. — Secundam opinionem, qua scilicet cuticula uti inorganica substantia consideratur, amplexi sunt Vesalius, qui epidermidem tamquam cutis efflorescentiam declarat, Morgagnius, Hallerus, et Meckelius, quorum ultimus ex strato superficiali Reticuli Malpighiani inspissato cuticulae genesim deprompsit. Innumerae aliae habentur sententiae ut et hic merito dici possit, quot capita tot sententiae. Omnes hic illas referre inutilis labor. Clarissimus Prof. et Praecept. Panizza aptissimis experimentis nullum epidermidi vasculum sanguiferum, aut lymphaticum, nullum surculum nervosum inesse adeo evicit, ut ne minimum quidem dubium hominibus etiam difficilioribus in posterum relinquatur. Tantam hic argumentorum segetem exponere nostrum vetat munus. Quibus penitius rem investigandi desiderium est, egregium Professoris opus (Osservaz. Antropo-Zootomico-Fisiologiche) commendamus. Nos interim illo duce pressoque sermone summa capita delibabimus. — Primum Mascagni opinionem explodere est consilium. Injectiones, quas incredibili diligentia huc usque Anatomici longe peritissimi tentarunt, ne ullum quidem lymphaticum vasculum, vitris etiam augentibus, patefecerunt. Pharmaca, et substantiae omnes cuti adplicitae eo citius absorbentur quo subtilior epidermis; absorptio medicamentorum quae derinati cuticula vesicantium ope denudato admoventur ocyssima est, variolae verae, et Tutoriae inoculatio eandem veritatem illustrat. Nuperrime Seguinii experimenta ipsam, ut ita dicam, dubitationis umbram e medio sustulerunt. Ex iis compertum habemus substantias tanto facilius a lymphaticis absor-

beri quo major fuerit haece inter et cuticulam affinitas, vel quo majori illam credendi, aut destruendi potestate fruantur. Ex alia parte experientia docet, glandis coronam et frenulum praecipuam ulcerum venereorum sedem esse; nec mirum, nam hic epithelium longe subtilissimum. — Neque potiorem certitudinis gradum opinioni illorum concedere fas est, qui epidermidi vasa sanguifera largiuntur. Nunquam illa injectionibus, oculis aut microscopio ad hanc usque diem innotuere, ut Meckel primitus, et recentiores Anatomici plurimi, quos inter Panizza, testantur. Sunt et alii qui credunt, filamenta illa, quorum ope tantum earo epidermis nectitur, nil aliud plane esse, quam tenuissimos systematis sanguiferi, et lymphatici surculos, qui in externa cuticulae superficie aperiuntur. Expeditissimum est hanc quoque opinionem refellere. Liberos absorbentium, et exhalantium terminos, et hiantia ostiola buccasque nemo inspicere aut comprobare potuit; rationi aeque ac experimentis magis consonum per meatus parietum vasorum proprios, nostri *Poros* vocant, humores ab arteriis demitti, a lymphaticis resorberi: sed vascula haec propriis ostiolis in externa epidermidis superficie patentia mente fingamus. Annc hinc ad organicam cuticulae structuram concludendum? Ex eo quod vero nonnulla vasorum surcula in superficiem quandam irrumpunt tantummodo, illam organisatione donatam praedicabimus? Nonne rectius fortasse ut cujusdam coli species existimanda? Quid unquam, obsecramus, homines sub organisationis nomine intelligunt, quoad organismos saltem perfectiores? Nonne talem vasorum nervorumque dispositionem, et nexum, quae vitam manifestam ponant? Concedimus lubentissime, inquies; sed

quid vetat rationi quominus hanc ipsissimam rem in epidermide accidere retineamus? Anne id semper negandum quod oculus non usurpat? In naturalium disciplinarum studio potissimum Philosophiae fundamentum est, ne quid recipiamus nî prius severis experimentis comprobatum. Quare et hac in re ab omnium hypothesium illecebra satius est temperare, quam naturae, uti dicunt, antecedere. — Ad viam, qua paullulum defleximus, sermo revertatur. Pathologiae studium plurimas observationes suppeditat ad inorganicam epidermidis structuram evincendam. Dermatitides, quibus sevientibus, sanguiferum dermatis systema mirum in modum explicatur nunquam cuticulae structuram labefactarunt. Gangraena rem ipsam persuadet; nam, ut omnes medicinam facientes bene norunt, epidermidi penitus parcit. Hujus tandem opinionis veritatem casus cujusdam dermaticae degenerationis propugnant; « di tal natura, ait Panizza, sono molti nei materni rossigni nei quali ad onta che siavi un significante, e patentissimo aumento di vasi cutanei i più superficiali, pure la cuticola non ne mostra alcuna, sia che si distacchi col rubefaciente, sia che la si osservi nei cadaveri di simili soggetti dopo finissima injezione. » (1)

Membrana adiposa = Textus subcutaneus, sive adiposa membrana, tertium communis velamenti stratum repraesentat. Haec membrana quaqua versus dermati subest, cujus exterior superficiem, ut superius diximus, filamentis naturae cellulosae adjuvantibus jungitur cuti; interna musculos inter carnearumque fibrarum fasciculos innumera filamenta demittit. Sunt partes nonnullae ubi

(1) *Op. cit.* p. 89.

summopere stipatam se praebet, quod in linea mediana anterioris posteriorisque trunci regionis potissimum videre fas est; et alibi in quibus maximam praesefert laxitatem. Hoc facile de abdomine deque artubus intelliges. Hujus membranae structura cum reliquis cellulosis perfecte communis. Fit enim ex filis laminisque, quae singulari modo ita disponuntur, ut cellulas quasdam hic latiores, illic angustiores relinquant. Cellulae istae facillime inter se communicant; ut de una in alteram iter existat quam expeditissimum Emphysema quod arte suscitatur hanc communicationem egregie declarat. Maximam huic membranae vasorum sanguiferorum, et ex lymphatico systemate copiam natura demandavit. Arteriis textus nutritio, adipisque secretio committuntur. Posteriorem substantiam resorbendi ne forte in immensum cresceret, ut accidit in polypionia, est lymphaticorum officium. Textus adiposus fere ex integro in palpebris, in pene, ad scrotum ater desideratur: ingenti e contra ad capillorum regionem et in abdomine praesertim luxuria succrescit. Quapropter harum partium hydropes, et partiales polypioniae (lipomata) sunt vulgatissimae. Nervi textui adiposo cum arteriis accedunt.

Glandulae — Pili et Ungues — Nonnulla breviter de glandulis sebaceis deque pilis unguibusque referendo, dermatis descriptioni ultimam imponere manum statuimus. Omnes fere Anatomici et Physiologi putant, systema quoddam glandulare in cute reperiri cujus praecipuum officium sit humorem peculiarem naturae quasi sebaceae excernere, quo dermatis superficies externa inungatur, ut illi quaedam humiditas functionibus peragendis, tactus potissimum, necessaria concilietur. Sed accurata observatio, et innumera experimenta impediunt quominus huic

sententiae adhaereamus. Non improbabile est auctores a glandulis lymphaticis deceptos fuisse. Glandulae istae neque dissectionibus accuratissimis, neque per injectiones penitissimas, neque in morbis cutaneis unquam apparent; qua de re illius humoris secretionem a systemate capillari arterioso perfici cum illustri Palitzza tutamur. — Pili sunt filamenta quaedam cylindrica, elastica quae, exceptis manuum volis, pedumque plantis, omnem plus minusve cutis superficiem obvestiunt. Variam admodum crassitiem ostentant. Hic enim sunt crassiores, illic tenuiores. Differunt quoque longitudine, et duritie, neque idem plane omnibus est color. Partes ab externis injuris tuentur, quam utilitatem in animalibus praesertim ostendunt: tanta est enim in illis pilorum copia, ut naturalis vestimenti speciem quodammodo efficiant. In capite quam maxime abundant pili, qui proprio nomine *crines* appellantur, quique in palpebris *cilia*, in arcu superciliari *supercilia*, in vultu *barba* dicuntur. Plurimis muniuntur pilis partes pudendae utriusque sexus, dorsi pectorisque regiones, neque axillis spectabilis pilorum quantitas negata. Pilos vero partes illas, quae majoribus instruuntur nervis praecaeteris diligere certissima est observatio. In pilis bulbus, et pars libera sunt observatu digna, quorum alter quasi germen, pilus qua productum respici debet. Prior duplici conflatur membrana, externa scilicet cellulosa, et interna quae pulpam molliculam in se continet; quae pili radice nutritionem depromit. Duobus itidem stratis pili pars libera constat; *epidermoideo* scilicet, et *colorante*, de quorum genesi lis adhuc inter Anatomicos, Physiologosque agitatur. Est enim quamplurium opinio ut a bulbo pilus erumpens, ubi ad cuticulam pervenerit, eam impellens, sibi quasi vesti-

mentum abducat. Quae mens Panizzae, Praeceptori nostro, non penitus arridet, quatenus tum sub cuticula pili crassities minor esse deberet, eodemque avulso quasi lacinae in epidermide rupta conspicerentur; quae omnia repetitis observationibus non comprobantur — Ungues sunt laminae latae, elasticae, diaphanae, quae fulciendo musculorum pulvillo, quem apex digitorum efformat, magnum dexteritati, tactusque negotio praecipuis inserviunt. Radice, lunula, corpore, et apice constant, quorum omnium fabrica quum profecto neminem lateat fas erit omittere: quare de unguibus tantum adnotabimus, non ex radice originem suam depromere atque succrescere, verum a subjecti dermatis secretione exoriri. Re quidem vera unguis ex paronichia delapsae reproductio, quae per particulas hic illic secretas insularum ad instar efficitur, et Bourgelati experientia in solipedum ungue instituta, qua constat, unguem terebratum per materiem a glomeribus vascularibus secretam redintegrari, opinionem nostram abunde, luculentissimeque confirmant.

Systematis Cutanei Physiologia.

Multa quae ad cutis Physiologiam attinent in anatomica hujusce velamenti disquisitione protulimus. Jucundissima quidem nobilissimarum questionum suppellex hic nobis offerret. Quid enim sublimius, aut homini aptabilius, quam sapientissimas divinasque naturae leges disquirere, humani corporis magisterium contemplari? Nemini certe organi cutanei in animalem oeconomiam dignitatem detractare animus unquam fuit. Illud inter, et externas potentias summa intercedit amicitia. Aer atmosphaericus, ejusdem humiditas, et reliquae substantiae

quae in eo suspenduntur, nec non imponderabilia omnia cutim indesinenter afficiunt. Insufficientiae nostrae cunctis investigandis muneribus, quibus derma fungitur in vitae oeconomia omnibusque doctrinis exponendis, quae hac super re hucusque prolatae fuere probe gnari, subjectum nostrum non absolvere, sed adumbrare tantum aggredimur. Quem in finem non inutile fortasse erit, ut rectius laboris nostri mens lectoribus (si qui fuerint) teneatur, quandam synopsis speciem offerre. Cutis studium sub duplici respectu *Proprietatum*, et *Functionum* in duas partes dispescimus. Prioribus *distensibilitas*, et *contractilitas* accensentur — Functiones in duas iterum series recedunt, in *organicas* scilicet, et *animales*. Absorptio, et exhalatio ab organicis promanant, animales tactus organon ponunt. Brevissimus de cutis ad imponderabilia relationibus sermo, postremus erit labor.

In cutis proprietatibus exponendis parum immorabimur. Distensibilitatem probant tumores variae naturae, qui dermati substernuntur, seri ingentes in textus celluloso subcutaneo colluvies, cavi abdominalis hydropes, et potissimum graviditas; eaedem aegritudines quum artis vel naturae auxilio tolluntur, cute se in pristinum restituente, contractilitatem probant.

Inter organicas cutis functiones praecipuum tenet locum perspirationis negotium. Perspirationis insensibilis nomine post Hippocratem intelligunt Physiologi vaporem illum, qui continuo a dermatis superficie exhalatur, quique sudor audit, cum sub liquidi forma generosius emittitur. » Il sudore non differisce dunque (autumat Richerand) dalla traspirazione insensibile, che per lo stato sotto cui si presenta, e basta par produrlo, che l' aria non possa ridurre a vapori quest' ultima, o per-

chè la pelle ne separi più del solito, o perchè l'atmosfera troppo umida sia assai poco dissolvente « (1) Objiciunt nonnulli, hac theoria sudoris abundantiam, quae aestuante coelo pene omnes est, haud posse explicari. Quod faciunt injuria, nam humiditas summa, qua gaudet aestivus aër, impedit absque dubio, quominus perspiratio, ob alias tunc causas fortasse copiosior, ab aere circomfluo dissolvatur. Non defuerunt quidem homines, qui cutis perspirationem insensibilem denegarunt, sed tot, et adeo obviis phaenomenis se prodit, ut eam in dubium nemo amplius vocare queat. Hujusce functionis studium fuit semper Medicis carissimum: nihil enim antiquius habuerunt, quam perspirationem quaquaversus perpendere, atque ingenium ita in illud exercuerunt, tantaque insudarunt pertinacitate, ut illorum patientiam mirari debeamus. Sanctorius ineunte saeculo XVI in Italia tantam huic functioni operam navavit, ut in posterum Sanctorii nomen perspirationi insensibili designandae accommodaretur. Temporis successu Dodart in Gallia, Keil, Robinson apud Anglos, Rye in Hibernia, Linnings sub coelo Carolinae meridionalis, aliique plurimi de perspirationis historia optume promeruere. Supervacaneum esset calculos de hujusce humoris quantitate ab illis prolatos velle hic referre. Curatiora vero sunt pericula, quae celeberrimi Lavoisier, Seguin, Cruikshank, et Abernethy instituebant. Ex hujusce postremi experimentis, quae tantam nominare placet, compertum est, intra sex horas tres fere drachmas liquidi humoris, drachmas vero quatuor intra horae spatium aeriformis ma-

(1) *Nuovi elementi di Fisiologia T. I. p. 209. Trad. ital.*

teriae nonnunquam excerni. Quia vero multae sunt caussae, quarum influxu augetur et minuitur cutis secretio, exhalationis cutaneae quantitas haud recte definienda — Chemica hujusce materiae analysis utilitates, quas primum pollicebatur, physiologiae afferre haud hucusque potuit. Haec analysis eo difficilior evadit, quod non in diversis solum individuis, sed in eodem plane corpore, tempore diverso, variisque partibus perspirationis humor quam maxime differat, ejusque subtiliores particulae facile evanescunt. Constat tamen materiem perspirabilem aquosis et aeriformibus particulis conflari. En substantias quas eidem tribuunt Chemici: Vapores aquei, exigua calcis phosphoricae, salisque ammoniacalis copia, acidum carbonicum, azotum, hydrogenium, acidi cujusdam indicia (acidum phosphoricum perhibent) particulae denique potus, cibi, medicamentorum, quae a processu organico subigi non potuerunt — Plurima sunt adminicula sive externa, sive interna, quae huic functioni gravissimae opitulantur. Externis calor, varia lucis intensio, atmosphaerae conditiones variae, ut major vel minor aeris densitas, et humiditas, diversus electricae tensionis status, et chemica ejusdem mixtio, aliaque hujuscemodi recensentur. Internae perspirationis conditiones sunt varia actionis vitalis energia, aetas, sexus, temperamentum, cibus, potus, calidi praesertim, pharmaca, praecaeteris quae cutis sunt specifica, venena quaedam, animi motus sive deprimentes, sive excitantes, eursusque denique lunae, ut quibusdam, potissimum Germanis, lubet. — Quamquam ad hanc usque diem certissima experimenta desiderentur, dubitare tamen haud licet, materiam perspirabilis secretionem a systemate cutis capillari perfici debere. Perspirationis officium quammaxime

cum pulmonum congruit functionibus. Hanc rem superiorum Phisiologorum pericula, observationesque persuadent ; immo celeberrimus Geoffroy Saint-Hilaire retinet in foetu systema dermaticum inertis pulmonis fungi muneribus: cui opinioni aer quidam respirabilis in Amnios aquis a Lassaigne detectus maximam conciliat auctoritatem. Tamen minime silendum Auctores in hoc negotio saepenumero imaginationis vi abripi, et a religiosa observationis via facilius, quam par est, deflectere. Hoc tamen certissimum habemus, summam a natura huic functioni in animali oeconomia dignitatem donatam fuisse. Hujus propositionis veritas, vel ex eo satis adparet, quod hac functione perturbata, valetudinis integritas haud conservari possit. Tantus enim est dermatis cum integro organismo consensus, ut remotiorum partium morbis confestim et ipsum male multetur, et ejus affectiones vitae utriusque functionibus pessima diffunduntur. Sed hanc rem in pathologica disceptatione fusius agitabimus. Exhalatione denique cutanea supervacaneae nocentesque particulae exterius eliminantur, quae absque sanitatis discrimine retineri non potuissent.

Absorptio — Systematis cutanei absorptionem negant plurimi, plurimique defendunt. Sub priori opinione stipendia faciunt Seguin, Curvie, Klapp, Daugherfield, Chapman, Gordon, et Magendie propugnator omnium acerrimus. De cutis absorptione non dubitant Keil, Haller, Percival, Home, Cruikshank, Abernethy, Bichat, Bradney Stuart, Mascagni, aliique non pauci. Maxima argumentorum vi hinc, et illinc in arenam descenditur. Non labor, non studia, non experimenta, non observationes praetermissae. Utraque cohors palmam arripuisse triumphat. Pacificis tamen naturae Scrutatoribus lis adhuc

sub judice videtur. Multa sunt quae nos ad cutis absorptionem amplectendam impulerunt. Fas sit hic illa referre claris. a Lenhossék verbis, qui brevi hoc sermone subjectam perstringit. « Praeter aeriformes substantias, aquam, et alias res cute absorberi jam Hippocrati notum erat, et probant multae observationes. Etenim plantae et zoophita sola hac via nutriuntur; varios aeres oxigenium, azoticum, et acidum carbonicum cute absorberi experimenta Abernethjana, et Brandisiana ostendunt; balnea aquea pondus corporis augent, sedant sitim, et promoveut aquosas excretiones. Homines et bruta animalia in humido aere degentia potu vix egent; denique dantur homines qui multo plus de aqueis humoribus excernant quam titulo potus, et cibi adsumunt, quod in primis in hydropicis valet, copiosum serum in cavis serosis, inque celluloso textu exhalantibus. Alias praeterea substantias cute absorberi, medicamentorum, at venenorum mercurialium praecipue effectus ostendit. (1) » Monuimus tamen jam antea illustris Seguinii experimenta demonstrasse, substantias tanto facilius absorberi quo majori ipsae destruendi cuticulam, vel saltem erodendi facultate pollent.

In infantibus juvenibusque absorptio efficacior est; sensim sensimque minuitur, accedente senectute; sexus item conspicuas inducit gradationes, ita foeminae viris hac functione praestant. Tempestates diversae absorptioni favent, aut adversantur, frigidis regionibus facultas haec fere nulla, temperatis, et calidioribus validior. Absorptionis cutaneae differentias expeditius est tradere, quam explicare. Haec tamen a Medicis so-

(1) *Institut. Physiolog. V. I p. 325.*

lertissime consideranda: ad morborum enim quorundam genesim intelligendam conducunt. Etsi haec cutis functio cum tubi enterici functionibus quodammodo congruit, nihilominus hac inter, et illas directos intercedit antagonismus. Norunt et vetulae negotiosae difficilius sub digestionis labore, quam silente ventriculo organismum miasmatibus inquinari.

Tactus— Inter systematis cutanei utilitates potior illa certe videtur, quae vitae animalis commoda inservit. Tactum hisce designare intelligimus. Nobilissimum subjectum nos tantum delibabimus, siquidem nostri muneris non est in hanc functionem penitus investigare. Universa cutis ejusdem instrumentum est. Certissimum tamen ad eam praecipue cutis partem, quae in apicibus digitorum est pertinere. Hic enim cutis mollior, depilis, nervosae papillae plures, magis evolutae, peculiarisque figurae, et motus partium quam expeditissimus. Nam pro tactu perfectiori activus quoque partium motus, et sensus muscularis requiruntur. Quamquam digitorum apices in manu prae aliis corporis partibus sublime hoc sibi vindicent privilegium, tamen » et pedum digitis commune esset quoties iis eadem frequentia pro tactu uteremur (id quod historiae eorum, qui manibus destituti erant, nobis suadent) et quoties pressio continua ex gressu cuticulam non redderet crassiorem: quamquam non adeo papillae in pedum digitis, etiam in dessuetis, inertes sunt, ut plures ex memoratis qualitatibus (figuram, magnitudinem intelliges) earum ope percipi nequaquam possint (1). — Tactus ope corporum figuram, levitatem, asperitatem, mollitiem, duritiem, siccitatem,

(1) *L. M. A. Caldani Institut. Physiol. p. 157.*

humiditatem, temperiem, etc. cognoscimus. Sunt et qui alium sensum proposuerunt, ad quem calorem, et frigus referunt. Darwinius enim animadverterat sensum tactus saepenumero aboleri, sensu caloris superstite: exempla scilicet aegrotantium paralysi adfectorum perhibet, qui a mechanicis irritamentis nil molestiae persentiunt, maxime vero ab admota flamma percelluntur.

Huic opinioni illustris Martini hisce verbis occurrit. » Profecto credibile est, caloricum esse stimulum ad cutem afficiendum magis accommodatum, seu validiorem quam mechanica irritamenta. Aliquando lingua quosdam sapores percipit, non alios. An idcirco tot sensus ad gustatum fingendi? (1) Tactus est saepe acutissimus: quod accidit praecipue quum alii sensus feriantur. Vulgatissimum est caecos dari qui per solum tactum minimas corporum differentias, et colorum quandoque percipiant.

Sensus tactus an caeteris praestantior? Omnium perfectissimum esse, aliorum errata emendare passim est proditum; attamen et ipse quandoque fallax, ad proprios errores corrigendos aliis sensibus eget. Tactus dignitatem non ex idearum nobilitate, sed ex illarum varietate, et numero pene infinito physiologi desumunt. Sensationes denique ex tactu, quemadmodum de reliquis omnibus est, hujusmodi sunt, ut vel ad voluptatem, vel ad molestiam referantur, vel sint pene indiferentes. » Plurimorum corporum exploratio (Caldani verbis concludamus) et mutuus inter ea et papillas quaecumque attritus etiam lenissimus, ut norunt omnes, nec voluptate nos afficit, nec molestia. Nemo periter est qui ignorat, ut

(1) *Martini Elementa Physiol. vol. 2 p. 148.*

quemadmodum corpora paollo violentius in cutim impetentia tactus sensom vertuat in dolorem; ita quaedam alia aculeis, ut ita dicam, praedita, lem etiam contrectatione meatem incommode commovent. Neminem tandem latet quibus in partibus reciproce attritis summa insidest voluptas quae tactus admoiculo obtineri potest. Et tamen ea est peculiaris hominum quorundam nescio an dicam *idiosyncrasia*, an potius mentis alienatio, ut insignem in partium aliquarum titillatione voluptatem experiantur, quae ab alus vix tactae, propter illatam molestiam, subitam ac fere convulsivam, ut dicunt, membrorum contructionem extorquent (1) ».

Momentosissimum denique, licet minus conspicnom, est illud cutis officium, qua commercium sustinetur inter vulgaria externa imponderabilia, et ea, quae organismo sunt insita. Cutis color etiamsi diversimode ex plurium aliarum causarum concursu, aere puta, victu, vitae genere, atmosphaericis conditionibus etc. apud varias hominum familias modificetur, ex luce potissimum differentias suas adipiscitur. Quod a nonnullis penitus denegatum, apud nos, subnigros non modo agricolas spectando, verum etiam delicatulos urbium habitatores qui fulvum citissime, ubi se luci diutius exponant, colorem induant, quotidiana experientia comprobatur — Caloris atmosphaerici continuae vicissitudines continuas quoque in animali tempere mutationes inducerent, nisi cutis efficacia separatoris ferme officium exerceutis, propria organismi temperies contra extrema caloris externi puncta conservaretur. Aliquando tamen vitae efficientia externis caloris vicissitudinibus adeo afficitur, ut organi-

(1) *Op. cit. p.* 158.

eae fonctiones vel in cute ipsa, vel in organis per consensum aut antagonismum cum illa consociatis perturbentur — Fluidi electrici demum in animalem oeconomiam influxum denegare nefas! Homines delicatiores, hypocondriaci, foeminae hystericae, gravidae etc. electricas atmosphaerae vicissitudines illico persentiunt, ita ut instantem procellam, ob dominantem tunc negativam electricitatem, tuto praesagiri valeant. Jam vero organismi electricitas cum externa electricitate in aequilibrio se continuo ponere deberet cum maximo vitae periculo, nisi idioelectrica cutis facultas externas sequi electricitatis vices organismum prohiberet. Qua in re pili dermati auxiliantur, quibus illae partes praecipue, quae nervis ditiores sunt, et hinc magis sensibiles providentur.

Cutis relationes ad organismum in statu morboso constitutum.

Hisce de Anatomica structura nec non Physiologicis Integumentorum officiis breviter perlustratis, grave adhuc nobis superest munus, eorum nempe investigatio quam Pathologo, et Medico Practico praeprimis intersunt. Hoc sub adspectu illa vel aetiologico intuitu qua morbi atrium, vel semejotico ceu communissima symptomatum sedes, vel utpote frequentissimum morborum substratum, aut tandem respectu therapeutico veluti locus cui medicamenta plura admoventur, considerari merentur.

Si illae organismi partes quae potentiis externis latius frequentiusque petent facilius morborum atria eva-

dunt, caeteris crebrius cutis id evit. Re quidem vera latissima ejusdem superficies ea sensibilitate donata, ut *sensum* peculiarem recipiat, continuo in conflictu cum externis rebus versatur, quarum actio vel quantitate peccans, vel qualitate aut in eadem ipsa, vel per illam in intimis organismi, cui jungitur, penetralibus morbosam mutationem potest inferre. Quum insuper functiones maximi momenti perspirationem scilicet, et absorptionem persolvere, atque imponderabilium aequabilem cum *μακροκοσμῳ* relationem sustinere integumentis incumbat, coram quoque dignitas in sanitate servanda luculenter patet, et morbi atrium mehercule fiunt ubi causae in illa irruentes functiones eorumdem subvertere valeant. Haec omnia vero, quae sponte fluunt ubi ea perspecta habeantur, quae de hujus organi dignitate jam protulimus, non adeo cutim principem morborum atrium declarant, quam si illius velamenti cum reliquo organismo nexus respiciatur. Et reapse quomodocumque sit per textuum continuitatem, contiguitatemve, aut per nervorum ludum ii ut datur aliarum partium in cutim actio, ita pariter cutis actio in alias partes existit ... Theoria quidem hic saepe coecutit, summae rerum internarum causae intellectu humano non comprehenduntur, res ipsae adparent, et effectibus comprobantur (1). Perspiratio porro suppressa quae diarrhoeam inducit, vomitus sub primo exanthematum variolaeque praesertim stadio, exanthemata ipsa intropulsa tubum gastroenterium impetentia, cutis cum illo consensum patefaciunt. Eodem pacto nexus elucet cum pulmonibus ex pneumonitide, suppressis scarlatina, morbillo, rubeola,

(1) *Lory. De morb. cut. p.* 26.

uti quidem ex efflorescentia farinosa, quae sub tertio phthiseos pulmonalis stadio universam aliquando cutim deturpat. Sic dicatur de renibus, qui praepedita cutanea transpiratione, ingentem urinae copiam secernunt. Maximam insuper cutis cum genitalibus sympathiam pluribus factis compertam habemus. Exemplum refert Lory de sene sexagenario, qui pruritu ad coxam persaepe fatigatus, confestim, ubi pertem scalptu peteret, voluptuose mucum ex genitalibus evacuabat. Ita quidem lepra exagitati in Cajena effraenem libidinem et ferocem satyriasim nonnunquam praeseferunt: Dum exempla aliunde non desiderantur, quae morbos ejusmodi ad altiorem intensitatis gradum elatos in utroque sexu pubertatem continere, et generationis organa enervare valuisse patefaciunt: et Gallas ipse (1) narrat de quadam lepra inter Cosacos Jaik endemica quae phaenomenon Cajenensi leprae prorsus contrarium, insuperabilem nempe anaphrodisiam inducit. Quibus perspectis jure concludit praelaudatus Alibert « En général plus est important le rôle que joue un'organe dans l'economie animale, plus ses relations sont intimes, et étendues. La peau est l'aboutissant commun de tous les nerfs, de tous les vaisseaux arteriels, veineux, et lymphatiques. Elle est le foyer le plus actif de la sensibilité humaine, toutes les parties elementaires du corps concurrent a la former. Chacone de ces perties lui imprime pour ainsi dire, des propriétés de sa façon. » (2) Qua eadem veritate decem et novem jam ab hinc saeculis perculsus Asclepiades

(1) *Voyage en Russie.*
(2) *Alibert Maladies de la Peau. Dis. Prélim.*

adeo a cuti nobilitate abripiebatur, ut illi summum in morbis suscitandis influxum concederet. Quapropter quum cutim et relatione cum rebus externis, extensione, receptivitate, functionum dignitate, et nexu potissimum cum aliis organis atrium esse ad actionem potentiarum morbificarum persentiendam maxime idoneum sibi persuaserit Medicus, sibi quamplurium morborum aetiologiam indagabit, et inde via non raro ad veras nosogenias patebit, et illinc rationalis cura subsequetur. Hoc praeterea ubi medentis mentem non fugiat multae in medium ferentur cautelae quibus morborum nonnullorum minuatur numerus, quorum causa in fomite contagioso consistit. Hinc prudens hygiene Integumentorum munditiem prae oculis semper habens balneorum modicum usum apud Graecos et Romanos olim tanta utilitate frequentem, et modo apud nos fere obsoletum pristino honori restituet. Hinc omnia effugiet, quae aequabilem, et physiologicam prorsus transpirationem perturbare poterunt, vel ea quae topice adplicita aut ibidem, aut in internis nobilioribus organis morbos gignere queunt. Quas inter causas numero pene infinitas satis erit humidum refrigerium, et cosmetica ceu frequentiores enumerasse.

Intuitu Semejotico quantum praestet in morborum diagnosi Integumentorum sedula inspectio unicuique Medicinam facienti patet, quae dum imas, quas tegunt, inhibent inspicere latebras, generalem interdum Pathologici processus interni ostendunt imaginem. Re quidem vera praetermissis adfectionibus morbosam in cute ipsa conditionem habentibus, quarum, ut videbimus, infinitus pene est numerus, quantum ea lucis non hauritur in morbis febrilibus sive color cutis spectetur, sive tempe-

ries, siva varius secretionis status, unda mox sicca atrigosa, imperspirabilis, arida, aut e contra mollis, humida, vel et madida, sudore universali vel topico, vaporoso, rorido, aut seroso viscido sanguinolento anteus, adoris lactei, acidi, nidorosi etc. adparet? Idem dicatur de quibusdam eruptionibus ex mere sympathica gastricaa, vel rheumaticae irritationis conditione prodeuntibus, idam de innormalibus quibusdam decolorationibus, quae ex prava, forsitan, humorum crasi in organismi penetralibus enata depeudent, uti esset de Peticulis, maculisque in scorbuto acuto prodeuntibus, quae juxta Hildenbrand opinionem non ex idiopathica cutis adfectione, sed potius ex deficiente sanguinis oxysi, et majori tenuitate exoriuntur, qua idem ab extremis capillarium osteolis effluens discretas ecchymoses efformat. Praeterea et in Cachexiarum cognitione Integumentorum observatio nonnunquam praestat. Hujuscemodi enim morbi (alio um quam saepissime morborum effectus) quum ex pravo corporis habitu definantur, praeter conspicuas quoad volumen, et formam mutationes, alias etiam quoad colorem et temperiem in cuti aduotandas praesefeiunt. Cujus quidem rei veritatem integrae morborum classes ab Ahbert P. Franko V. Hildenbrand ex vario cutis colore decromptae sat luculenter evincunt.

Quod si cutis dignitatem pro Medico Practico eo sub adspectu animadvertere lubeat, quo vastissimae, sibique tantum propriae morborum familiae substratum praebet, tum in illorum studio diurna, nocturnaque manu versandi necessitas maxima elucescet. Etenim quaenam est corporis humani pars quae tot diversissimis inter se morbis sive ex fomite contagioso, sive ex idiopathicis irritationibus, sive demum ex causis penitus latentibus in-

ductis, quam hoc organon labefactetur? Sufficiat immensam exanthematum, et cacodermatum familiam ad mentem revocare, ut cutis, qua morborum substratum spectatae, dignitas adpareat. Quas aegritudines in Dissertatiuncula indicare si supervacaneum puto, non tamen extra rem mihi videtur considerare, ut cutis dignitas magis, magisque elucescat, exanthemata ob acuti decursus rationem, et magnum, quod inducere possunt, vitae periculum; impetigines tum ob immensum, quem complectuntur specierum numerum, tum ob diutinam, qua aegrum afficiunt, molestiam, cum denique ob summam (quod frequentissime) contra medicaminum vim pervicaciam. — Insuper in cute, seu morbi substrato considerata, alias quidem passiones habemus, quae prout vel sensum primitus, vel secretionis functionem adficiunt, ad Nevroses, vel Eccrises demandatae fuere.

Ultimo tandem respectu, ubi cutis consideretur qua locus quampluriam medicaminum adplicationi accomodatus, ejus quoque dignitas Therapeutica evincitur. Ob arctum nexum organicum, quo cutis gaudet cum omnibus ferme internis organis, artificiales saepe irritationes in ea provocantur, ut nobiliora organa liberentur. Hoc itaque scopo nunc hyrudines vel cucurbitulae incisae, ubi purum educere sanguinem prosit; si illum tantummodo ad cutim derivare expediat, rubefacientia; si serum educere, vesicantia, si pus, frictiones stibiatae et funticu' in usum vocantur. Nec desunt in praxi casus in quib sive ut vitales excitentur vires, sive ut virium nervosorum habeatur benigna revulsio, dolorem in cute excitare juvat. Praeterea antiquissima est methodus qua pe organum dermaticum aliquoties medicamenta organism admoventur, quaeque summis laudibus, litterati n

ruat Medici, apud Arabes extollebatur. Inter illos Avenzoar in dysphagiis balnea ex lacte aliisque substantiis nutrientibus primus usurpabat. Haec fuerat olim Sinarum therapeutices pars omnium potissima. Neminem certe latet quot, easdemque mirificas morborum historias medici variis temporibus in medium protulerunt, quibus pervicacissimas, et pene desperatas adfectiones pharmacis cuti adplicitis disparuisse didicimus. Quid pluribus conamur? Infinita illa cataplasmatum, unguentorum, linimentorum, fotuumque series, qua Veterum pharmacologia pene obruebatur hoc satis superque demonstrat. Anno vero MDCCXCVII Chiarenti in Italia novam potioremque frictionum methodum proposuit. Intelligent Medici absque dubio de frictionibus Gastrico-Opiatis, uti ajunt, sermonem esse. Paullo post celeb. Brera novis additamentis adeo illam locupletavit, ut merito secundus inventor salutaretur. Ipse enim per innumera pericula ad aegrorum lectulos, vel in brutis suscepta persuadebatur, omnes fere animalium humores eadem plus minusve medicamenta subigendi virtute pollere, quam in succo gastrico Chiarenti deprehenderat. Julio, Rossi, Chrestien, aliique tum in Italia, tum apud exteras gentes Anatriben nova methodo usurpatam quammaxime observationibus commendant. Tamen nescio quo fato, ne dicam insipientia, Medici illam despicantur, et utilissima res iamdudum fere obsolevit.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I. Hydrops, qui cito copiosam sequitur haemorragiam, ex phlogosi tamen oriri equidem potest.

II. Ex animalium incessu ipsorum psychicae facultates, palam innotescunt.

III. Ut et minimis vasculis systematis sanguiferi major, sic et minimis aeque ramulis maxima nervorum inest energia.

IV. Aquarum consideratio, ubi de publica hygiene est sermo, primum sibi vindicat locum.

V. Anatripsis, methodo, quam Chiarenti *et* Brera *meliorem fecerunt, adhibita, haud jure a medicis nunc oblivione quasi deletur.*

VI. Topographiae medicae studium progressibus scientiae salutaris plurimum favere.